

Sæculi II. Millenarium illud Regnum placuisse, atque in ejus Libris habuisse locum; an desæcatum a corporeis voluptatibus Cerinthi, mihi non satis constat. Illud certum est, ex male intellectis *Apologorum narratiombus*, uti Eusebius Cæsariensis jamdiu nos monuit, Papiam pertinens ingenii virum eam confasse opinionem; cui teste Hieronymo, Spuria quoque *Judeorum Traditiones* occasionem præbuere. Veri propterea simile est, Apocal. locum male intellectum ei ante oculos fuisse. Non hominis ingenium, sed vetustatem metiti aliquot ex subsequentibus Christianæ Religionis Scriptoribus, has ab eo merces sine hesitatione acceperunt. Diserte S. Irenæus testatur lib. v. cap. 33. se in Millenarii Regni sententia sequutum fuisse *Papiam*, cujus etiam auditor & discipulus fuerat. Omnes autem norant, ut id repetam, ex ejusmodi opinione alteram effluere, videlicet Justis celestis Regni possessionem ante universale Judicium deserti non posse. Burneti verba sunt pag. 43. *Ecquis credat, Christum revulisse Lazarum a Visione beatifica, ut in hanc vitam miseram pedem referre cogeret?* Nemo sane. Credemus quidem, interrogationem hanc erupisse ex homine aut oblioto sui, aut hospite in Catholicorum scriptis. Nimirum Orthodoxorum omnium sententia est, quo tempore Lazarus e mortuis suscitatus fuit, hoc est ante Salvatoris nostri mortem, nondum ulli hominum reclusas fuisse Cœlestis Hierosolymæ portas; ita ut nihil opus Christo fuerit inde illius Animam evocare, ut rursus in quatrduanum Corpus immitteretur. Contra vero quum putida fabula Millenarii Regni, quam Burnetus revocare in vitam nititur, placuerit Irenæo, Tertulliano, Justino, Lactantio, & aliis; nil mirum est, si coacti fuerint Sanctorum Retributionem in Cœlis differre usque ad extremum Judicium, immo & post somnium illud Mille Annorum Regnum, ne Sanctos e cœlesti Beatitudine in terrenam deturbarent.

Verum ubi fundamenta Millenarii Regni nitent, immo nulla sint: ruat oportet & super illud ædificata opinio de Justiarum Animarum carcere usque ad finem Mundi. Et profecto Regnum hoc tot rationum ariete, ipsorumque Patrum auctoritate jamdiu concussum fuit, ut inter Theologos Christianos nullus sit ei amplius locus; & male sibi blandiatur, qui stramineis argumentis ejus ruinas reparare se posse nunc patet. Pagnat, ut dixi, cum ipsa Apocalypsi. Pagnat cum tot aliis divinæ Scripturæ oraculis. Et quoties Christi Fideles audiunt, Redemptorem in supremo Judicio dicentem Justis, *Matth. xxv. 34. Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi*: numquid aliud desideratur, ut intelligant, ac certo teneant illic agi de uno Cœlorum Regno quod toties Deus electis suis pollicitus fuit, & in quo Justis *recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob?* Non duo, sed unum Regnum sperare nos semper fecit misericors Dominus; atque illud non Terrenum, sed Cœleste: ita ut mirari jam subiret, erumpere nunc homines Christiani nominis, qui desperatæ causæ patronum ac restitutorem agere velint, nisi exploratum foret, pejora audere etiam posse, qui-

cum-